

v

4 29

HOC EST
 LIBRUM
 MUSEI
 MUSEI
 MUSEI

HOC EST
 LIBRUM
 MUSEI
 MUSEI
 MUSEI

Handwritten text on the spine of the book, oriented vertically. The text is partially obscured and difficult to read, but appears to be a title or a list of contents in a historical script.

Sum ex libris ~~scribitur~~
~~scribitur~~ Anno, 1602.

Mein Aug. 1602

347



CVRINEC

CLESIA DEI RITVS PRO-

cessionum & circuitus abrogatus & ubiq;
tollendus potius, quam restituendus sit,

Causæ breuiter indicatæ a Ioachi-

mo Vestphalo, Pastore

Ecclesiæ Hambur-
gensis.

DEUTE. XII.

Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Do-
mino, nec addas quicquam, nec minuas.

MATTH. XV.

Frustra colunt me docentes doctrinas &
mandata hominum.

Omnis plantatio, quam non plantauit Pater
meus cœlestis, eradicabitur.

ANNO. 1553.

QVINTVS

LIBRVS

DE

RE

VER

BO

DE

RE

DEUTE. XII.

Quod praecepto tibi hoc tantum facio Do

mino, nec addas quicquam, nec minuas.

MATTH. XV.

Tanta est enim me docentis doctrina &

mandata hominum.

Quis placentiam quam non placent Patet

mens coelestis, et discipulus.

ANNO. 1771

QVI ANTE ANNOS TRI-
ginta a doctrinis & cæremonijs impi-
is repurgare Ecclesiam Dei sunt aggre-
ssi, magnas habuerunt caussas, cur præcipue
abrogarent processiones, quas dominicis, ali-
isq; diebus festis fieri in Papismo solenne &
religiosum fuit. Habent autem omnes pij
easdem caussas ob sistendi, ne restituantur ab-
rogatæ, quas illi habuerunt, ut eas a diuinis
cultibus remouerent.

Magnopere alicubi conantur Interimi-
stæ & Adiaphoristæ abolitos processionum
ritus reducere. Non minns laborant in ea re,
quam si summa pietatis ibi consistat, Et pe-
riculum sit, ne religio tota collabatur, nisi
erectis uexillis circum templa aliquoties ob-
errent. ~~Fingunt speciosos prætextus, cur ue-~~
~~lint reiectas cæremonias reuocari,~~ tribuunt
processionibus, crucibus, & uexillis mirifi-
cam & diuinam quandam uim conseruandi
pacem & arcendi bella, prædicant, satius esse,
multoq; tutius, candidis uestibus indutos
circumgestare templi uexilla per cœmiteria
sacrarum ædium, quam conspicerè circum-
ferentes ^{in uisibilibus} ~~militaria~~ signa. Usque adeo super-
stitio dementat homines, ut non uideant se
uanis suis idolis offendere Deum grauius,
quam demereri & offensum placare, & pœ-

nas tam priuatas, quam publicas accersere & cumulare citius, quam auertere.

Apparet ex præsentibus calamitatibus, motus bellorum & uastationes documenta sunt, quam Deus reddatur placatus, quam summoueantur mala, per hypocrisin in uestigijs superstitionum papisticarum incedentem. Episcopos & Sacrificos docet experientia, quid præsidij situm sit in processionibus, totaq; panoplia superstitionum, quibus Deo placato tutos se esse confidere solent. Ac non longe aberit, quando experiundo discent hypocritæ, se in uanitate prouocante grauissimam iram Dei spem suam collocasse.

Quanta autem sit impietas in processionibus usitatis apud pontificios sacrificulos, indicatur hoc breui scripto, ut constet instauratores Ecclesiæ grauissimis rationibus adductos, cur eas aboleuerint, & cur abolitas restitui nullo modo ferendum sit, nec ulla parte a quoquam pio ea restitutio sit siue aperte siue occulte adiuuanda aut probanda. Indeque fiat manifestum, quis spiritus agat Interimistas & Adiaphoristas, ut tam pertinaciter urgeant suas cæremonias, ut malint Ecclesias spoliari pastoribus bonis, eosque proscriptos eijci in exilium, quam processiones suas

suas posthabere, aut concedere, ut quisquam detrectet explosos ritus administrare.

Caput idolatriæ & omnis impietatis sub Antichristi dominatione esse missam sacrificantem pro uiuis & mortuis, euidenti ueritate scripturæ, per annos aliquot publicis, tam concionibus, quam scriptis est demonstratum. Post Missæ idolatrica sacra secundum locum obtinent processiones, quæ apud Papistas in festis peragi solitæ habentur pro magna parte diuini cultus. Dediti superstitionibus suis iudicant in illis abrogandis Dei cultum nefarie uiolatum & impie diminutum esse, easq; restituere, id collocant in magna pietatis parte.

Cum a Missa discessum fuerit, non aliud sacrum celebratur tam religiose & solenniter, quam processiones & circuitiones circum templa. Neq; ullum sacrum præter Missam tam multiplici idolatria hæret implicitum, quantam processiones secum trahunt. Peraguntur enim conflatae ex uarijs cæremonijs plenis idolatria & superstitionibus ethnicis.

Primum habent adiunctam idolatriam aquæ consecratae, qua sacrificus aliquis præcedens longo sacerdotum agmini aspergit populum. Huic aquæ tribuitur uis delendi

1 *pistae putant peccata nostra aboleri aqua consecrata.*

peccata uenialia. Vnde cantari consuevit in circuitu precatio illa ex Psal. 51. Asperges me Domine Isopo & mundabor, Lauabis me, & super niuem dealbabor. Ideo populus pulsatis campanis festinanter concurrere solet ad aquæ benedictæ asperisionem, impia hac persuasione, quod credit, delicta sua quotidiana dilui sacrata aqua corpori aspersa. Quæ uero abominanda est blasphemia tribuere aquæ uirtutem delendi peccata, quam Spiritus sanctus per Dauidem & omnes Prophetas acceptam fert precioso sanguini Christi & quod propter merita passionis Christi & eius promissionem recte tribuitur sacro baptismo, Taceo impietatem, quæ exercetur in consecranda aqua Iustrali abusu sacrosancti nominis & uerbi Dei.

de ligno cr
65 Similis est blasphemia, quod ligno crucis tribuunt uim fugandi dæmones. Fabulantur enim, malos spiritus uiso uexillo crucis male timere sibi, & ex aere depelli, ut in tempestatibus desistant a concitatione aeris. Perinde ut nunc Interimistæ & Adiaphoristæ fingunt Hispanos, aliosq; hostes ex nostris regionibus summoueri per crucem & uexilla circumgestata per cœmiteria.

consecratio
serba Accedit ad dictas blasphemias Idolatria
consecrationis herbarum, cereorum, palmarum,
4 rum,

rum, ignis. Nam ista solent consecrari, uel ante uel post processiones & circuitum, herbae in die Assumptionis Mariae, cerei in die purificationis, palmae, seu uerius salices, die Dominica, quae ex palmis nomen obtinet, quodie in nonnullis locis & lingneus asinus, imposita imagine Christi, trahitur per circuitum templi. Ignis consecratur pridie paschatis, cum etiam horrendis adiurationibus consecraretur aqua baptismi.

Auget plurimum has impietates cultus sanctorum non uno genere idolatriae contaminatus & processionibus usitatis permixtus. Inuocatio sanctorum stabilitur processionibus, pleraeq; fiunt ad eorum uenerationem, canuntur impia cantica, quibus inuocantur Sancti, Et petitur ab ijs inuocatio apud Deum. Confirmatur ethnica Idolatria simulachrum, imagines argenteae impositae pheretris circumferuntur, aliae promiscue portantur in rogationibus & festo corporis Christi. Sunt enim simulachra ex illo numero Deorum, qui os habent & non loquuntur, Pedes habent, & non ambulant. Circumferuntur etiam reliquiae mortuorum, ut conspicientes eas deuotius colant sanctos, patronos eos sibi parent apud Deum, Et, quibus quisq; indiget, ab eis impetrent bona.

Hæc

Hæc grauiſſima peccata aduerſus pri-
mum & ſecundum præceptum Dei, non mi-
nus impie, quam aſtute diſſimulant, et occul-
tant cæremoniarum admiratores. Alios non
pudet exploſas palam inſtaurare, Alij & ſi nõ
admodum ſuadent eas reuocare, conſcij ſibi
quam nihil conferant ad pietatem, conſilij
tamen & authoritate ſua clanculum promo-
uent.

Prætexunt uero belli homines neſcio
quæ myſteria, quæ prædicant contineri ſub
iſtis ridiculis ritibus ceu inuolucris & typis
quibuſdam, qualia multa myſticus ille inter-
pres, qui rationale diuinorum conſarcinauit,
commentus eſt, plurimum etiam occupatus
in fingendis myſterijs circa omnes partes pro-
ceſſionum. Talibus myſterijs populum præ-
fertim rudiorem, pueros item et uetulas com-
modius doceri, & ardentiores adfectus ad
pietatem excitari, ſtulte credulis conantur
perſuadere.

At quam foeliciter populus doceatur fi-
guris & myſterijs comenticijs, quam ſolide &
ſancte in pietate profectum faciat, in papatu
euidens teſtimonium perhibent, non tantum
uulgi, ſed & ipſorum, ſi dijs placet, ſpirituali-
um patrum ſtupenda ignorantia, cœcitas &
omnis generis cumulata ſuperſtitio, ubi ſa-
cra

era scriptura transformata est in allegorias & arcanas significationes, Et maior pars cultus Dei ad typos & lusus quosdam mysticos tracta. Quid relictum est Ecclesiae de coena Domini praeter mysteria commentitia adumbrata in diuersis uestibus, quibus induti sacrifici peragunt suas missas?

Fuit aliquando tempus, cum uisum est Deo inuolucris signorum agere cum populo ueteris testamenti, & uarijs figuris adumbrare, quae erant reuelanda & complenda in nouo testamento. At posteaquam apparuit filius Dei & ueritas successit umbris, impletis tam prophetijs quam figuris praedictis de Christo & de rebus noui Testamenti, quae obsecro peruersitas est, umbras reducere & illustrata denuo obscurare? Aboleuit Deus per exhibitum Christum a se institutos typos, & uerbi sui clarissimam lucem in toto orbe diffudit. Qua ergo praepostera religione & qua dementia captus AntiChristus cum suis Interimistis & Adiaphoristis audeat gloriam Christi umbris & typis inuolueri, & Christi cultores a norma praeformata in uerbo Dei ad ethnica insanias atque deliria abducere?

Constat enim ex historijs & poematis gentes in sacrificijs suis suas processiones nauisse, id quod testantur Ambarualia sacra &

Iustrationes agrorum. Sacerdotes Persarum in processionibus circumtulerunt ignem sacrum. Salij sacerdotes Martis circum altaria iuisse, cum sacra facerent, Virgilius memorat. Hæc si non ab ethnicis uel remanserunt, uel accepta sunt stulta quadam imitatione, sicut & Iudæos gentium Idolatriam consecretos esse, sacrae literæ in libro Iudicum referunt, certe omnino his simillimi sunt Papistici ritus processionum & circuitus, quos cum Interimistæ reducunt in Ecclesiam, gentium superstitiones potius reuocant, quam ad augendum & ornandum cultum Dei operam suam conferunt.

Frustra autem excusant sese, quod non restituant processionem nisi bene purgatam, sicut impium canonem missæ sic satis purgatum primanus quidem Interimista reposuit, non in processionibus suis spargunt aquam benedictam, non imagines circumferunt, non colunt, neque inuocant Sanctos, Sed his alijsque impietatibus remotis peragunt suas processionem, Vexillis erectis canentes, ut hoc spectaculo exhibeatur triumphus gloriosæ resurrectionis Christi, & populus admoneatur de uictoria quam redemptor noster Christus reportauit de morte & inferis. Sed quis iussit sic peragere memoriam & celebrare triumphum
Domi

Dominicæ resurrectionis: Instituit Domi-
nus noster Iesus Christus cœnam sui corporis
& sanguinis in suæ mortis & redemptionis
nostræ commemorationem. Ritus uero
processionis referentis resurrectionis trium-
phum nusquam legitur instituisse.

Sacratoria ac ampliora mysteria adfin-
guntur processionibus, quam uel baptismus
habet, uel cœna Domini, non minor ab ho-
minibus imponitur necessitas eas restituendi
& seruandi, quam Ecclesia obligata Christi
mandato tenetur præstare obedientiam in
obseruandis *ijs*, quæ ipsemet obseruare præ-
cepit. Certe si tanta insunt mysteria istis nu-
gis, si tam sancti cultus exhibentur, quales i-
maginantur ceremoniarum magistri, si tanta
obligat obseruationis necessitas, quanta astrin-
gunt Ecclesiam, omnino necesse est, illa my-
steria, & tam solenne cultus habere expressû
uerbum & mandatum Dei. Vbi autem Chri-
stus mandatum dedit, ut pompa processio-
num, cruce, Vexillis & uestibus sacris exhibe-
retur spectaculum resurrectionis & uictoriæ
Christi, quam figurari istis rebus fabulantur
uanissimi nugatores.

Fortasse proferent nobis mandatum an-
geli dicentis ad mulieres, *Ite, dicite discipulis
eius & Petro, quod præcedet uos in Galilæ-*
am.

am. Nam mystes ille, qui congeffit rationale
diuinorum, ut alijs scripturis multis, ita uer-
bis angeli insulsissime abutitur, in his collo-
cat fundamentum omnium processionum,
scribit, eam, quæ fit in die Paschatis ex eo ha-
bere initium, quod Angelus dixit, Ite, dicite
discipulis quod præcedet uos in Galileam, &
ex ea omnes processiones originem traxisse
nugatur. Iam cum nullum Domini manda-
tum extet de circuitu & processionibus, et ho-
rum rituum obseruatio humana mandetur
remeritate, non alio loco habenda est, quam
aliæ traditiones humanæ, de quibus Christus
dicit. Frustra me colunt, docentes doctrinas
& mandata hominum.

Angelus præcepit mulieribus, ut dicerent
Discipulis, Christum resurrexisse a mortuis.
Idem habet mandatum Ecclesia, ut prædi-
cando Euangelio annunciet & dicat, Chri-
stum retulisse triumphum a morte & inferis
deuictis, non habet mandatum, ut per ritus
processionum tanquam externa signa repræ-
sentet uictoriam Christi resurgentis. Libe-
rum quidem est certum deligere tempus, quo
conueniant fideles, ut audiant uerbum Dei,
quo annunciantur beneficia uictoris Christi
refuscitati a mortuis, sed aliud est oportunū
tempus constituere ad prædicationem Euan-
gelij,

gelij, & aliud tyrannice imponere Ecclesiæ
leges de obseruandis ritibus, quibus exhiben-
tur spectacula triumphi. Resurrectio Domi-
ni tam clare & copiose descripta, & quasi ob
oculos depicta est ab Euangelistis & Aposto-
lis, ut umbraticis illis mysterijs processionum
nihil opus sit.

Quid commemorem scandala, quorum
Interimistæ sunt authores, dum restituunt ri-
tus, qui sunt materia & fomenta insignium
errorum & abusuum. Populus putat illa spe-
ctacula ualere ex opere operato, & per se cul-
tus esse, ita aliquantulum ex erroribus expli-
catis rursus implicat, Apud alios detentos
adhuc sub Antichristi regno, corroborant
idolatrias & superstitiones, suoq; exemplo
eos in his detinent. Indicant enim non tan-
quam impias esse abiiciendas cæremonias,
quas abiectas etiam instaurant, quibus Euan-
gelij ueritas præluet. Ita noua deformatio
(sic uerius appellatur, quam reformatio) Ec-
clesiarum, etiam in hac parte pro Antichristo
facit.

Adhæc etiam si Interimistæ non cele-
brant processionem eo fine, quo sacrifici &
monachi, tamen nouum finem non minus
impium ad fingunt processionibus suis, dum
confidunt se per illas bella auertere & pacem
confer-

conferuare posse, quæ opinio quantum quæ-
so distat ab illa papistica, qui dæmones fuga-
ri per processiones, in quibus portatur sig-
num crucis, confidenter prædicant.


Apostolus Paulus præcipit 1. Corin. 14.
Ut omnia fiant ad ædificationem. Excludit
ergo ab Ecclesia quæ non ædificant, ac mul-
to magis, quæ etiam destruunt, aut certe cau-
sas præbent ad destructionem. Spectacula
processionum non solum nihil faciunt
ad Ecclesiæ ædificationem, sed etiam scan-
dalis plena plurimùm nocent. Nam instauran-
tur in gratiam Antichristi, Et Bacchicæ istæ
circumcurfationes dedecorant & deformant
cultus sacri maiestatem, ministros exponunt
maledictis & sannis, qui ista reprehenderunt
ante, & nunc Domino his inseruiunt perso-
nati, Autoritas eorum contempta redditur,
fides doctrinæ detrahitur, totumq; ministe-
rium Ecclesiasticum exponitur ludibrio.


Propter tanta scandala & mala præcep-
tum Apostoli relegat, ex Ecclesijs Christi cir-
cuitum & processiones, cum iubet omnia fa-
cere ad ædificationem.


Cum igitur grauissimis causis moti uiri
excitati diuinitus ad repurgandam Ecclesi-
am cum alijs sordibus processiones multipli-
ci idolatria inquinatas reiecerint, nec dici
uere

uere possit, eas ad tempus tantum, non in
perpetuum reiectas esse, nec secum dissideat
spiritus sanctus, ut per alios improbet aliquid
& abijciat, ut per alios idem illud probet
& restituat, piæ confessionis opus faciunt
quicumq; processiones impias abolent, abo-
litas non recipiunt, & denuo cum magno
scandalo administrare recusant, neq; inobe-
dientiæ aduersus magistratum crimine ma-
culandi, sed obedientiæ erga Deum laude
condecorandi sunt. Oportet enim Deo ma-
gis obedire, quam hominibus, Et dare Cæsa-
ri, quæ sunt Cæsaris, & Deo quæ sunt Dei. Si
enim ~~ea~~ reædificamus, quod paulo ante Spiri-
tus S. per pios doctores magno cum applau-
su omnium uere piorum destruxit, nonne tū
ipsum S. spiritum, tum & eo repletos Dei ui-
ros, religionis Christi instauratores, maxima
cum diuini nominis ignominia, omnium
scandalo & piarum mentium horribili
contristatione, coram Deo & homi-
nibus tanquam transgressores
& summæ impietatis re-
os constituimus, &
scelerate dam-
namus.

Magdeburgæ excudebat Micha-
el Lotther.








29105

X 2201989

Sb.

Handwritten text from the reverse side of the page, visible through the paper. The text is in a Gothic script, with some letters in red ink (rubrication). The text is partially obscured by the paper's texture and the binding.





CVRINEC

CLESIA DEI RITVS PRO

cessionum & circuitus abrogatus & ubiq̃
tollendus potius, quam restituendus sit,

Causſæ breuiter indicatæ a Ioachi-

mo Vestphalo, Pastore

Ecclesiæ Hambur-

gensis.

DEUTE. XII.

Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Do-
mino, nec addas quicquam, nec minuas.

MATTH. XV.

Frustra colunt me docentes doctrinas &
mandata hominum.

Omnis plantatio, quam non plantauit Pater
meus cœlestis, eradicabitur.

ANNO. 1553.

